



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

5. Quomodo genus respicit sua inferiora.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

debet in ceteris etiam rebus, in quibus includeretur, esse talis causa; nec enim potius deberet eam causare in homine quam in lapide, nisi quia aliquid aliud in homine concurreret, quod non reperiretur in lapide nec secundum aliquid simile: & hoc ipsum est signum efficax colligendi quod materia sola non causet etiam arguitue animalitatem.

Dices: esse susceptivum quantitatis potest assignari tanquam genus corporum sublunarium, in quo inter se conveniunt & distinguuntur à spiritualibus substantiis; sed hoc competit ipsis ratione solius materiae, maxime in sententia satis communi, quod quantitas subiectetur in sola materia prima, ergo genus potest desumi à sola materia.

Respondeo breviter, quidquid sit de maiori & minori, distinguendo consequens; aliquod genus, transeat; omne genus, nego: conclusio autem intendit quod omnes rationes genericæ etiam rerum corporearum non desumantur à sola materia prima, quidquid sit de aliqua ratione generica particulari.

*Probat*ur secundo conclusio, quia est evidens quod anima concurrat ad sensationem, & quod sensitiuitas principalius competat homini ratione animæ quam ratione materiae primæ: ergo gradus genericus animalitatis non desumitur vlllo modo à sola materia prima.

CONCLUSIO II.

57. *Genus non ita desumitur etiam partialiter à materia prima, etiam in rebus constantibus materia, quin posset aliquis cognoscere plures genericas rationes rerum corporearum, etiam ut tales, absque eo quod cognosceret illas res constare materia.* Hæc est conformis Doctori, & probatur evidenter, quia quamvis non sciremus hominem constare materia vlla ratione, potuissimus cognoscere ex operationibus ipsius quod esset quid sensitivum & discursivum, & potuissimus cognoscere, quod conveniret cum aliis animalibus in sensitiuitate, & disconveniret ab ipsis in rationalitate; & ulterius potuissimus cognoscere quod sensitiuitas esset prædicatum ipsi commune cum aliis, & rationalitas prædicatum proprium, quo primo distingueretur ab illis aliis non minus, quam de facto cognoscimus: ergo potuissimus cognoscere quod sensitiuitas illa communis esset ratio generica, vel constitueret talem rationem, & quod rationalitas esset differentia hominis ab aliis, quibus non conveniret; & consequenter ratio generica non ita desumitur à materia, nec differentia à forma, quin possit aliquis cognoscere, aliquas rationes genericas, & aliquas differentias rerum, ut tales, absque cognitione vlla materia primæ.

CONCLUSIO III.

58. *Genus & differentia substantiarum materialium, per se inclusa & identificata ipsismet, desumuntur à materia & forma physica, & non à materia sola, nec à forma sola.* Hæc est Doctoris supra cum suis & recentioribus, nec in re dissentiunt Cöplutenenses aut Ioannes à Sancto Thoma. *Probat*ur, quia materia & forma causant illas substantias, ita ut non essent tales substantiæ absque materia, & forma: ergo materia & forma sunt realiter causæ cur sint tales substantiæ, & consequenter sunt causæ cur sint in rerum natura prædicata essentialia istarum rerum identificata ipsis realiter: ergo genus & differentia, quæ sunt talia prædicata, desumuntur à materia & forma, & non à materia sola, nec à forma sola.

Dices: esse susceptivum quantitatis est prædicatum intrinsecum substantiæ constantis materia, & est vel differentia eius, vel genus; sed competit ipsi ratione solius materiae: ergo genus vel differentia sumitur à sola materia.

Respondeo negando minorem: sicut enim illæ substantiæ non haberent esse à sola materia, ita neque haberent etiam vlla prædicata sibi essentialia à sola materia.

Dices: eo ipso quo intelligerentur habere materiam, intelligerentur habere istam susceptivitatē: ergo materia sola est, à qua habent illam.

Respondeo, non posse intelligi quod habeant materiam in se inclusam, quin intelligantur etiam habere formam, & consequenter sola materia non est sufficiens ratio, cur intelligantur habere illam susceptivitatē.

CONCLUSIO IV.

59. *Univrsaliter loquendo genus cuiuscunque rei potest desumi ab operatione vel effectu magis communi, & differentia à minus communi operatione vel effectu.* Hæc in re debet esse extra controuersiam, & patet, quia possum colligere ex sensatione hominis, quæ est operatio ipsi communis cum bruto, quod habeat principium formale istius operationis, & quod in eo conveniat cum bruto; & ex eo quod videam hominem habere discursum, quæ est operatio minus communis quam sensatio, possum colligere quod habeat principium talis operationis, quod non competit bruto: ergo possum colligere quod illud principium commune sit genus hominis & bruti, & quod illud principium particulare homini sit differentia hominis & bruti. Similiter ex eo quod videam, quamcumque formam substantialem posse actuare materiam; possum colligere, quod ratio actuandi materiam sit communis ac generica respectu omnis formæ substantialis; & ex eo quod videam hanc formam particularem ita actuare materiam, ut cum ipsa faciat aliquod totum potens producere effectus, quibus similes nequit facere aliud totum constitutum per aliam formam; possum colligere quod illa forma particularis sit distincta rationis ab alia illa forma, & consequenter habere differentiam qua ab ipsa differat. Et hoc modo possum discurre de omnibus rebus siue substantialibus, siue accidentalibus, siue spiritualibus, siue materialibus completis, siue incompletis: ergo vera est conclusio.

60. *Quod si quæras, cur ergo communiter dicatur genus desumi à materia, & differentia à forma? Respondeo* ideo posse id dici, quia genus, quandoquidem habeat rationem perfectibilis, habet proportionem & similitudinem aliquam cum materia, quæ est perfectibilis per formam; & similiter quia differentia habet proportionem aliquam cum forma, quandoquidem utraque habeat rationem perfectiui. Posset etiam ille modus loquendi habere hunc sensum quod genus colligatur inesse rei ex eo, quod res possit concipi per modum materiae, hoc est perfectibilis, quia scilicet potest concipi ut principium operationis, aut effectus communis, & ut principium operationis, aut effectus particularis: & ut concipitur primo modo, potest dici esse in potentia ad seipsum ut conceptum secundo modo. Vnde quandoquidem cognoscatur habere rationem genericam ex eo quod concipiatur primo modo, potest dici quod ratio generica desumatur à materia, hoc est à re concepta per modum perfectibilis: & quia differentia colligitur inesse rei ex eo quod concipiatur secundo modo, propterea potest dici quod differentia sumatur à forma, hoc est à re concepta cum maiori perfectione quam concipiebatur inesse ipsi per primum conceptum.

Variis modis posset explicari illud dictum, sed res ipsa constat ex conclusionibus, nec ad rationem generis cognoscendam requiritur maior explicatio istius dicti, quam iam præmissa.

QVÆSTIO V.

Quomodo genus respicit sua inferiora.

61. *Vo sunt inferiora generis, de quibus quæritur, nimirum species, quæ sub ipso immediate continentur, & ad quas contrahitur per differentias constitutivas illarum specierum; & indiuidua contenta sub illis speciebus.*

CONCLUSIO I.

Genus ita respicit species & indiuidua, ut de ipsis vere predicari possit in quid. Hæc est certa apud omnes, & patet, quia non solum possumus dicere quod homo sit animal, sed etiam quod Petrus sit animal, & sic dicendo bene responderemus quærenti, quid sit homo, aut quid sit Petrus.

Confirmatur, quia vere genus reperitur in specie & etiā in indiuiduo, ergo vere potest predicari de utrisque.

Confirmatur

Genus desumitur ab operatione magis communi & differentia à minus communi.

Quo sensu genus desumitur à materia & differentia à forma.

Genus & differentia substantiarum materialium desumuntur à materia & forma.

Genus potest predicari de speciebus & indiuiduis in quid.

Confirmatur secundo, quia sine dubio potest prædicari de specie: ergo & de indiuiduo, propter regulam illam communem, quod quando aliquid prædicatur de alio, etiam quiddam prædicatur de illo potest de illo alio prædicari; id quod de prædicatis primæ intentionis est certum, quiddam sit de prædicatis secundæ intentionis.

CONCLUSIO II.

Eadem aptitudine respicit genus speciei & indiuidua. 62. *Quamuis genus immediatius respiciat speciem quam indiuidua; eadem tamen aptitudine, qua respicit speciem, respicit indiuidua, nec sunt multiplicanda plures aptitudines in ipsa natura a parte rei, etiam formaliter distincta, quarum una respiciat speciem, & alia indiuidua.* Hæc est communior, & patet, quia posita illa sola aptitudine, quam habet genus ad inexistendum speciebus, & seclusa quacunque alia, necessarium inexistere indiuiduis per hoc, quod ipsæ species inexistere indiuiduis; implicat enim quod genus sit in speciebus, & hæc in indiuiduis, quin genus sit in indiuiduis: ergo non est ponenda alia aptitudo in genere ad inexistendum indiuiduis præter illam aptitudinem, quam habet ad inexistendum speciebus.

Dices: potest cognosci quod sit aptum inexistere in indiuiduis sine eo quod cognoscatur posse inexistere speciebus: ergo distincta est aptitudo qua respicit indiuidua, ab illa qua respicit speciem, scilicet formaliter: probatur consequentia, quia si esset eadem aptitudo formaliter, non posset intelligi genus aptum inexistere indiuiduis, quin intelligeretur inexistere speciebus.

Respondeo negando consequentiam cum probatione, quia bene possum cognoscere quod qualitas sit in substantia, ex eo quod videam illam comitari substantiam, & non posse naturaliter existere absque substantia, quamuis non habeat esse in substantia per unionem immediatam; & quamuis nesciam an sit ibi per talem unionem, an vero per unionem mediatam, quatenus scilicet ideo est in substantia, quia est in quantitate, & quia quantitas est in substantia: ergo similiter possum cognoscere quod animalitas sit in Petro & Paulo, quamuis non sciam an sit ibi per aptitudinem immediatam, an vero per mediatam, & consequenter non bene potest colligi quod animalitas dicat aptitudinem aliquam immediatam terminatam ad indiuidua, ex eo quod posset cognosci inexistere ipsis, non cognito an inexistat speciebus.

CONCLUSIO III.

Potest genus ut tale referri ad speciem, quin referatur ad indiuidua, non contra. 63. *Non potest genus ut tale referri per intellectum ad indiuidua quin consideretur inesse speciebus; bene tamen potest referri ut tale ad speciem, quin referatur ad indiuidua; & consequenter si sequatur ad comparationem intellectus in natura comparata aliqui respectui rationis terminatus ad illa, ad quæ comparatur natura, non eodem semper respectu rationis referatur natura generica ad indiuidua, quo referatur ad speciem, licet eodem respectu referatur ad speciem, quo referatur ad indiuidua.* Hæc quoad primam partem est extra controuersiam, & patet, quia non potest referri ad indiuidua ut genus, nisi referatur ad illa per modum partis essentialis contrahibilis: sed non potest referri ut pars contrahibilis, nisi intelligatur esse determinabilis per plures differentias essentielles, & non potest considerari, ut sic contrahibilis, quin intelligatur inexistere speciebus constitutis per ipsum & illas differentias: ergo non potest referri ad indiuidua ut genus, quin referatur ad speciem. Dico autem ut genus, hoc est, ita ut cognoscatur habere rationem generis respectu eorum, quia potest sine dubio illa ratio, quæ est generica, verbi gratia ratio animalis, referri ad indiuidua, quin referatur ad speciem: non tamen ut ratio generica, seu ita ut cognoscatur esse ratio generica: nam potest intellectus considerare aliqua duo indiuidua conuenire in animali, non considerando in illis ullam differentiam essentialem contractuam animalis; & in tali casu posset intellectus referre animal ad illa duo indiuidua, & prædicare illa de ipsis, non referendo illud ad speciem, nec prædicando illud de speciebus. At sic referendo & comparando

animal ad indiuidua non sciret referens an esset generica, vel specifica, imo referret ipsum per modum speciei ad illa, quandoquidem referret ipsum per modum totius essentiae ipsorum, si nullum aliud prædicatum intrinsecum essentiale consideraret in ipsis, ut contingeret quando consideraret illa præcisè, ut conuenientia in sola animalitate.

64. *Quod si consideraret duo indiuidua specifica, verbi gratia duos homines non solum, ut conuenientes in animalitate, sed etiam in rationalitate, in tali casu non prædicaret animal de ipsis, nec per modum speciei, nec per modum generis; non quidem per modum speciei, quandoquidem non consideraret ipsum in illis tantum totam essentiam; non etiam per modum generis, quia non consideraret ipsum per modum superioris aut contrahibilis: quod probatur: quia ut consideraret ipsum per modum superioris ac determinabilis, seu contrahibilis, deberet considerare ipsum per modum magis latè patentis, aut non conuertibilis cum rationalitate, quæ sola esset determinatiua ipsius: sed in casu proposito non consideraret ipsum ut sic, quandoquidem non consideraret ipsum, ut determinabile per aliquam aliam differentiam, præter rationalitatem; ut posset autem considerare ipsum tanquam non conuertibile, aut magis latè patens, deberet considerare ipsum, ut potens existere absque rationalitate cum alia differentia, ut est euidens: ergo non prædicaret ipsum per modum superioris aut contrahibilis, aut consequenter generis.*

65. *Est si queratur, quomodo tum prædicaret intellectus animal de illis duobus hominibus: Respondeo, quod nullo modo ex illis quinque modis, quibus quinque prædicabilia dicuntur esse prædicabilia.*

Dices: ergo prædicabile, ut sic, non est adæquatè diuisum in illa quinque prædicabilia.

Respondeo concedendo id, formaliter loquendo, propter hanc ipsam instantiam: realiter tamen adæquatè diuiditur omne prædicabile in illa quinque, quatenus nullum est prædicabile de pluribus, quod realiter non possit prædicari de illis pluribus aliquo ex illis quinque modis, quamuis aliquid possit prædicari secundum aliquam considerationem, secundum quam non competet ipsi prædicari vlllo ex illis modis: & in hoc sensu intelligendum est quod prædicta diuisio sit adæquata.

66. *Secunda pars conclusionis est conformis illis authoribus, qui nobiscum supra tenuerunt, quod genus non requirit per se, & ex ratione sua formali plures species communicabiles: eam etiam tenet expressè Auer-
sa, quamuis non conueniat nobiscum in illa doctrina, sed sanè satis inconsequenter ut iam patebit.*

Probat hanc partem, quia eo ipso quo concipiat quis hominem, & brutum, non concipiendo vllum indiuiduum ipsorum, videt animal includi in illis, & esse prædicabile de ipsis in quid incomplete: ergo potest ut sic ipsum ad illa referre sine eo, quod referat ipsum actu ad indiuidua, de quibus non cogitat; & ut sic comparatur tanquam genus ad illa ex suppositione quod ad rationem formalem generis sit impertinens quod species, de quibus prædicatur, sint communicabiles; cuius suppositionis veritatem ostendimus supra numero 31.

Quod si requireretur ad genus formaliter habere sub se plures species communicabiles, profecto non posset animal, ut genus, referri ad hominem & brutum, quin referretur ad indiuidua hominis, quia non potest homo considerari ut communicabilis, nisi indiuiduis: (ut modo suppono cum communi sententia tenente, quod homo sit species infima animalis) nec potest considerari ut communicabilis illis, quin consideretur in ipsis, & referatur ad ipsa cum animalitate, quæ in ipso consideratur: ergo non potest genus ut sic referri ad speciem saltem infimam, quin referatur ad indiuidua eius.

67. *Dixi autem ad speciem saltem infimam, quia genus supremum, verbi gratia substantia posset considerari ut genus respectu substantiæ materialis & immaterialis, etiam considerando illas ut communicabiles, non consideratis indiuiduis, quia substantia materialis potest considerari*

Animal ut prædicabile de duobus hominibus præcisè non habet rationem generis, nec speciei.

Datur aliquid prædicabile de multis quod formaliter loquendo non est vllum ex quinque prædicabilibus.

vt communicabilis substantiæ viuenti & non viuenti, non consideratis vllis indiuiduis, & consequenter posset referri substantia vt sic, ad species aliquas suas, absque eo quod referretur ad indiuidua: iuxta quod posset limitari doctrina *Auersæ*, dicendo quod genus posset referri vt genus ad aliquas species, nimirum ad subalternas, sine eo quod referatur ad indiuidua, licet non possit referri ad infimas, quin referatur ad indiuidua, tenendo quod ad rationem genericam formaliter requiratur ordo ad species vt communicabiles.

Ex his patet reliqua pars conclusionis: nam si potest generica natura referri per intellectum ad species, sine eo quod referatur ad indiuidua, & si sequatur aliquis respectus in natura per talem considerationem intellectus, certum est quod potest dari respectus rationis in natura generica ad species sine respectu rationis terminato ad indiuidua, & consequenter quod non eodem respectu rationis respicit semper natura indiuidua, quo respicit species. Et similiter, si non potest comparari vt genus per intellectum ad indiuidua, quin comparetur ad species, & si sequatur ad comparisonem intellectus respectus rationis in natura terminatus ad ea, ad quæ comparatur, non minus certum est quod eodem respectu rationis quo respicit indiuidua, debeat semper respicere etiam species.

QVÆSTIO VI.

An natura generica possit dari à parte rei absque differentia vlla positua præter indiuidualem.

68 **S**ensus questionis est, an possit dari à parte rei aliquod indiuiduum naturæ genericæ, verbi gratia animalis, quod nullum haberet prædicatum posituum essentiale præter prædicata animalis, in quibus conueniret cum aliis speciebus animalium.

CONCLUSIO.

Non potest dari natura generica absque aliqua differentia.

Conclusio est negatiua cum communiori sententia. *Probat*ur, quia quodcumque indiuiduum animalis, quod dari potest à parte, vel debet esse realiter à parte eiusdem rationis cum animali rationali, vel debet esse diuersæ rationis; si sit eiusdem rationis, ergo habebit rationalitatem non minus quam homo, & sic habebit illud indiuiduum aliquam differentiam contractiuam animalis præter numericam: si sit diuersæ rationis essentialiter, ergo habebit aliquod prædicatum essentiale, quod non reperitur in homine, & sic etiam habebit aliquam differentiam distinctam præter animalitatem.

Confirmatur, quia vel illud indiuiduum habebit aliquas operationes, aut effectus, quos non potest habere homo, vel non habebit; si non habebit, ergo non erit distinctæ rationis ab homine; si habebit, ergo habebit principium posituum istarum operationum: sed illud principium non erit animal formaliter loquendo, quia alias homo, cum sit animal, posset habere illas operationes: ergo erit aliquod aliud formaliter distinctum; & consequenter illud indiuiduum non constabit solo animali & singularitate.

69 *Dices*: illud animal erit diuersæ rationis ab homine, non per aliquod prædicatum posituum ipsi competens, sed per negationem rationalitatis, quæ est in homine: sicut enim paries albus, vt albus, est diuersæ rationis à pariete non albo, qui non haberet vllam formam posituam, qua distingueretur à pariete albo, sed solam negationem albedinis, quæ est in pariete albo: ita animal, quod non haberet rationalitatem, distingueretur ab animali rationali non per aliquod prædicatum posituum, sed per negationem rationalitatis.

Iuxta quam doctrinam posset etiam dici ad confirmationem quod animal aliquod posset dari, quod non haberet diuersas operationes, aut effectus ab iis, quos posset homo habere; sed quod esset tamen distinctæ rationis ab homine, propterea quod non posset habere operationes omnes quas posset homo, verbi gratia discursivas.

70 *Contra* has responsiones: quia omnis negatio necessario competens rei debet habere aliquod fundamentum posituum, ad quod sequitur, & ratione cuius com-

petat illi: sed illud animal, quod non haberet aliquod prædicatum posituum præter rationem genericam animalis, & differentiam indiuidualem, non haberet aliquod fundamentum posituum, nec aliquod principium, ratione cuius competeret illi talis negatio: ergo non competeret illi. Probat minor, quia non haberet pro fundamento, aut principio formali talis negationis ipsam hæcceitatem; huius enim munus est solummodo facere rem indiuiduam, & distinctam numero ab aliis rebus: nec etiam rationem genericam animalis, quia, si hæc esset principium & fundamentum, ad quod sequeretur talis negatio, quodlibet animal, & consequenter homo, haberet talem negationem, quod est absurdum.

Confirmatur hoc: quia vel illa ratio animalis, quæ esset in illo indiuiduo, esset distinctæ rationis posituæ ab animali vt sic, vel non esset; si esset, ergo illud indiuiduum haberet aliquam differentiam posituam essentialiter contractiuam animalis vt sic. Si non esset, ergo quemadmodum animal vt sic non potest esse principium talis negationis, nec illud animal, vt animal potest ipsam principiare.

71 *Instabis* contra hunc discursum: animal, quod est in homine, licet sit eiusdem rationis formaliter cum animali quod est in bruto, tamen fundat identitatem realem cum rationalitate, & negationem talis identitatis cum brutalitate, qualem identitatem & negationem non fundat animal vt sic, nec animal quod est in bruto; ergo animal quod esset in illo indiuiduo, posset fundare negationem rationalitatis, quamuis eam non fundaret animal vt sic, nec animal quod est in homine; & quamuis illud animal esset eiusdem rationis cum animali vt sic, & animali quod est in homine.

Contra: quia eo ipso quo fundaret animal, quod est in homine, identitatem, aut negationem, quam non fundaret animal, quod est in bruto, aut animal vt sic, sequitur quod est diuersæ rationis, sicut iam diximus in casu præfati; vnde negandum est quod animal quod est in homine formaliter consideratum, fundet illam identitatem & negationem.

Et si quæras, vnde habet animal coniungi cum rationalitate: *Respondeo* hoc non competere ipsi ratione animalitatis formaliter, quia alias omne animal esset sic coniunctum; sed competit ipsi ex eo quod reperitur in eadem re cum rationalitate.

72 *Et si quæras rursus*, vnde habeat esse in eadem re: *Respondeo* quod non ab animalitate formaliter, propter rationem iam dictam, sed hoc habet à seipso realiter considerato.

Dices: ergo similiter posset discuti in proposito, & asseri quod animal quod esset in tali indiuiduo, haberet negationem rationalitatis, non quidem ratione animalitatis formaliter consideratæ, sed à seipso realiter considerato.

Contra, quia quando aliquid habet aliquam negationem ratione sui realiter, & non formaliter considerati, tum ratio formalis ipsius coniungitur cum aliquo posituo, cum quo debet reperiri talis negatio: & sic, quia animal, quod est in homine, habet negationem brutalitatis non ratione sui formaliter, sed realiter considerati, bene sequitur, quod reperitur coniunctum cum rationalitate, quæ necessarii exigit talem negationem: ergo, si animal illud ratione sui realiter considerati habet negationem rationalitatis, sequitur quod coniungatur illud animal cum aliquo posituo, cum quo coniungi debet talis negatio. Hoc autem sufficit nostro intento, quia illud posituum erit differentia contractiuam animalis vt sic, sicut rationalitas est differentia positua animalis vt sic, contrahens ipsum ad esse hominis.

Confirmatur hoc & tota conclusio, quia si posset negatio vnius differentie posituæ sequi ad rationem genericam indiuiduatam, siue formaliter siue realiter consideratam, posset dici quod animal vt sic non contraheretur ad brutum & hominem per differentias posituas, contra communem sententiam.

DISPV

A quo habet animal esse identificatum rationalitati.